

De POMERANIA

Ripa maris Pomerani natura est uallo solidissimo munita, ut nulla eius inundatio terræ nocere queat, ut in Phrisia & Holanda, ubi perpetui aggeribus imperus eius est coercēdus. Termīnum ergo habet hæc terra à deo positum, quem mare prætergre-
di non ualet. Vocatur autem hoc mare Baltiscum, quod in mo-
dum balthei longo tractu per Scythias regiones tendatur usque in Græciam, ut Helmoldus Vuandalicarum rerum scriptor sen-
tit. Sed hoc esse nequit, cum mare illud non in Græciam porriga-
tur. Nam ex Russia per longas ambages in Sueciam itinere pe-
destri perueniri potest, & ex Liuonia in Lithuaniam & rursus in
Poloniā ubi nullum mare est. Vbi est ergo baltheus in Græci-
am? Balticum itaq; mare dicitur à Baltia peninsula, quæ tria con-
tinet aquilonis regna, Daniam, Sueciam & Noruegiam. Testis
est Plinius, qui suos introducit autores de fertilitate Pomeranie,
scribit doctissimus Petrus Artopæus natus Pomeranus in hunc
modum. Pomerania ad mare Balticum sita, à primis cultoribus
patria lingua, hoc est, Vuandalica, Pamorzi appellata, ab indi-
genis inhabitata & proprijs dominis gubernata, alienis autem
nunquam subiecta, est ubiq; fertilis, aquis irrigua, stagnis abun-
dās, nauibus peruia, diues agris, pascuis, pomis, lignis, riuis, mō-
tibus, uenatione, pecore, piscibus, frumento, butyro, melle, cera
& alijs his similibus rebus. Est quoq; optime culta ciuitatibus,
oppidis, arcibus & uicis, nec ullus in ea est locus uacuus et incul-
tus, nisi quem aut lacus aut montes occupant. Cibum ministrat
multis alijs terris per circuitum sitis. Vsa est ante susceptū Chri-
stianismum lingua Vuandalica, moribusq; suis uixit, quoad usq;
incorporata fuit Rom. Imperio, tūc unā cum religione simul di-
citat ab Imperatoribus Saxoniciā linguam, quam & in hunc us-
que retinet diem. Colligit incolæ in mari succinum, sed non tan-
tum quantum Pruteni in suis littoribus legunt. Insigniores ci-
uitates, quas habet Pomerania, jacēt in littore maris, præter pau-
cas quasdam mediterraneas, ut sunt Stetinum, Neugardia, Star-
gardia, &c. In littore maris iacent Colberg, Caminum, Cosli-
num, Gipsuualdum, Sundtum, &c.